

respodeant roganti ; scire enim ex ipsis libet , undenam perspectum habent , cùm quædam loca Deo videantur corpus humanum adjungere , quædam detrahere , hæc propriè loqui , atque intelligenda esse , ista verò impropriè . Nam si quispiam directè contrarium statueret , affereretque omnia ista loca , in quibus illi ~~ad egenos patibulas~~ ponunt , propriè , & contrà , in quibus ~~tempore~~ agnoscunt , impropriè esse intelligenda ; sicque fieri explicatu facilitiora , atque planiora ; Quānam quæso ratione hunc interpretem erroris convincerent ? quibus argumentis ipsius explicationem falsitatis arguerent ? nullis sanè nisi ex Philosophiâ petitis , ad quam , tanquam ad sacram anchoram , ut ipsorum antecessores refugerunt , sic & ipsis refugiendum esset , nisi incassum verba fundere , & oleum atque operam ludere vellent .

Alterum exemplum sit de Eucharistiæ Sacramentô , cuius institutionis verba , *Hoc est corpus meum* , in varios à Christianis torquentur sensus . Papistæ enim sic explicant , Hoc transubstantiatur in corpus Christi ; Lutherani autem hōc modō intelligunt , Hic panis localiter conjungitur corpori Christi ; Reformati denique ita interpretantur , Hic panis est signum corporis Christi . At harum trium discrepantium explicationum quænam est vera ? quænam falsa ? quænam sensui respondet , quem in animō habuit Christus , dum hæc verba proferebat ? Edocuit hoc Philosophia . Reformati enim illius ope suam stabilierunt , ac Pontificiorum & Lutheranorum sententiam absurdam esse ostenderunt ; dum ex Physicis demonstrârunt , Panem , salvis remanentibus illius accidentibus , in aliud corpus non posse transubstantiari , nec unum idemque corpus posse pluribus locis simul inesse , nec duo corpora in unō eōdemque locō , & alias absurditates , quæ horum opinionem necessariò consequuntur .

Ultimum in Scenam prodeat exemplum de S. S. Trinitate , quæ apud quosdam Theologos Mysterium audit , apud alios monstrum omnium absurditatum farragine refertum . Hanc ut illi contra horum insultus atrocissimos defenderent , & sartam tectam , quamvis ignotam , & non intellectam conservarent , quænam monstra vocabulorum , quasnam distinctiōnum nugas ex intimis Metaphysices penetralibus atque adytis non petierunt , aut de noyō , si non reperirent , finixerunt ? Quantò sanè satius fuisset illam pro Mysteriō non habuisse , & Philosophiæ ope , antequam , quod esset , statuerent , secundum veræ Logices præcepta , quid esset , cum Cl. Kekkermannō investigâsse ; quām tantō fervore ac labore in profundissimas speluncas , & obscurissimos Metaphysicarum speculationum atque fictiōnum recessus se recipere , ut ab Adversariorum telis sententiam suam in tutō collocarent . Profectò magnus ille Vir , in omnibus Aristotelicæ Philosophiæ partibus perdoctus , System. Theol. lib. I. cap. 3. dogma illud , quam-

vis.